



Mr. J. W.
L. J.



3
F. HIERONYMI
MARAFIOTI POLL-
STINENSIS,

CALABRI THEOLOGI
Ord. Minorum obseruantia.

DE ARTE REMINISCENTIAE
per loca, & imagines, ac per notas,
& figuras in manibus positas.

OPVS DELECTABILE, OMNIBVSQVE LIT
terarum studiosis, & praecipue Oratoribus, Concionatoribus,
& Scholaribus, qui ad Doctoratus apicem ascendere
satagunt apprime utile.



ARGENTORATI
Excudebat Antonius Bertramus
M. DC. III.

M. ANT. SABELLICVS.

Memoriã, secundum rationem, nil Deus dedit ho-
mini sanctius, nil vtilius, & ad eruditionem aptius.
Est hæc Thesaurus disciplinarum omnium, artiumq;
studio & labore quasitarum, custos fidelissima. Ali-
quid certè vidit sapiens Poëta, qui Musarũ memoriã
dixit Matrem: nec minus prudens, qui Lethen, huic
contrarium apud inferos statuit. Constat id bonum
nature beneficio: augetur tamen & excolitur arte.

ILLVSTR. D.

D. BALTHASSARI MI-
LANO, SANCTI GEORGII
Marchioni Amplissimo, ac Polisti-
nensium Domino benignis-
simo.

F. HIERONYMVS MARAFIOTVS
S. P. D.



AM DIV COGITANTI
mihi (Illustris. Domine)
quibus medijs, quibusue
munusculis, ex amplissi-
mo gratiarum tuarum cu-
mulo, aliquid pro meo
excerperem munimine, excerptumque ve-
luti umbraculum ab aestu, tegumentumque
a turbine, & pluuia, mihi seruarem; in il-
lud prorupit animus anhelans: da quod
datum accipientis animum delectat, & ca-
pe quod captum aliquando valet expel-
lere moerorem. Quod quidem satis meae
A 2 deuo-

deuotioni erga te conuenit. Quid enim
iucundius? quid dulcius? quid ué dele-
ctabilius, tanto viro, paupercula manus
mea valet exhibere? nisi id per quod acci-
pientis animū præsentī posse lætari? No-
ui siquidem altissimi ingenij tui acumen,
noui & quanta sint animi tui in virtutibus
oblectamenta dulcissima: quod nempe
haud ita floribus delectantur apes, fluuio-
rum irriguis prata lætantur, sylvarū um-
bris congratulantur aues, & scientiarum
studijs cōcrescunt oblectamenta viri pru-
dentis: vt animi tui culmen in acutissi-
mis scientiarum speculationibus iucun-
datur, dilatatur, & inardescit. Nec miror
equidem, nam qualia sunt frugum semi-
na, talia euadunt renascentia germina.
Quis ynquam Illustrissimi (bonæ memo-
riæ) patris tui Iacobi virtutes, laudes, &
præconia, modulatis canentium vocibus,
& carminum lyris, tubisq; sonantibus, vix
ad minimum, seculis nostris, decantare
sufficit? cui corporis dotes completæ, a-
nimi virtutes plurimæ, & ad scientia-
rum

rum speculationes intellectus exuberans.

Hinc, cum jam ille radix extiterit, tu verò germen eius delectabile, quid mirū si tanta promptitudine, ad quodcunque scibile animo inclinaris, delectaris, & gliscis? Laudet Homerus Achillem, concinat Virgilius Aeneam, extollat Curtius Alexandrum, commendet Liuius Scipionem, canant & cæteri quos armorum vanus fulgor extollit: nam ipse scientiarum vberibus infixos, virtutumq; semina plenis calathis legentes, vocibus personare, scriptisq; commendare conabor.

Quorum te priorē pronuncio, quem præ cæteris excellentiorem prænosco. Eò enim est adolescentiæ tuæ indolis inter alios clarior, quò inter prudentes viros æstimatur rarior. Et eò ad adipiscendas scientias aptior, quò & ingenio promptior, & amoris igniculo ad capeffendum flagrantior. His igitur ita de te animo meo infixis permanentibus, vt benignitatis tuæ ipse particeps inueniar, vt tuarum gratiarum vmbraulis protegar, atque vt felici-

A 3

ciori-

cioribus auris meam dicar in futurū pro-
tendere vitam: munusculum hoc offerre
decreui, quo & dantis animus agnoscat, &
& accipientis mens jucundaretur.

Manus quidem est, quam organum
organorū corporis priscis vocitare com-
placuit: nunc autem organum, quo mens
ad eius opera promptiore uadat nuncupa-
re licebit. Scriptum est enim apud Salo-
monis Ecclesiasten. Manum suam ape-
ruit inopi, & palmas suas extendit ad pau-
perem. Quod satis aptatum credimus
theoremata in hoc opusculo, quod de Arte
reminiscentiæ inscribere duxi. Nam &
multi inopes sunt nō mente, sed usu men-
tis: multiq; pauperes non loquutione,
sed prompta facultate loquendi, pro qui-
bus manum hanc aperire decreui, simul
& palmas. Vbi quibusdam figurarum
obsignationibus, pauperes, & inopes, lau-
dandi nomen domini promptitudinem
acquirant. Verū quæ germina terra
sterilis dabit? aut quos grossos arbor in-
fructuosa parturiet? cum iam paremia in-
promptu

promptu est: nemo dat, quod non habet:
sic ipse, quam manum inopi aperire va-
leo, qui & omni sum circum paupertate
ditatus? Aperias ergo tu, Illustrissime do-
mine, huiusmodi artis reminiscentiæ ma-
num, ob id enim sub felicissimis nomi-
nis tui auspicijs illam typis mandare cu-
raui; vt sub tuarum manuum benignissi-
ma protectione, & pauperes suscipiant
quod optant, vt ipse ab inuidorum mor-
sibus protegar. Cæterùm quæ tibi fe-
licia, & quæ tibi gloriosa, cælitùs
exorabo. Vale.



A 4

TYPO.

TYPOGRAPHVS AD
LECTOREM.



Aud primum duximus huiusmodi
Artis Reminiscentiæ libellum præ-
lo tradere, ni multorum iudicio ar-
tis veritatem comprobaremus. De
qua nil apud nos dubitationis erat;
cum iam præclarissimos Philosophos, Rethoresq;
quâmplurimos scimus de hac arte scripsisse. Ve-
rùm cum P. F. Hieronymum Marafiotum in Ec-
clesia Sancti Pauli Venetiæ hoc anno concio-
nantein audiuissemus, atq; cum summa ingenij
sui laude eius memoriæ promptitudo commen-
daretur: eo ardentiori animo, opus suum Artis
Reminiscentiæ in lucem edere statuimus. Vnde
vt operis dignitas congruis honoribus illustretur,
proprijs figuris illam decorare curauimus. Su-
scipe igitur benignissime Lector elaboratum opus,
cui frequenti studio inseruias, & quæ tibi ex
eo bona euenient facillimè agnosces.


Vale.

HIERO

F. HIERONYMI MAR-
RATIOTI,

De Arte Reminiscentiæ

PROEMIVM.

 *Imonidem ferunt, primò de Arte Reminiscentiæ opusculum compilasse, cuiusq; doctrinam alijs communicasse; post quem Diagoram, Aristoxenum, Aristotelem, Ciceronem, aliosq; ad hæc usq; tempora plurimos cernimus circa huiusmodi artem suos exposuisse libellos. Et parum quidem ab se inuicem huiuscemodi doctores dissident, nisi quòd (meo iudicio) alia docendi methodo, verùm vnus est omnium consensus, vt scilicet, prius reperiatur vniuersalis locus, in quo diuersi particulares inter se aliquo signo differentes, per oppositas viuorum hominum imagines aliquid vel natu, aut signo, aut habitu presentantes Reminiscentiam omnium dicendorum causare valeant. Sensatus quidem talis est reminiscentiæ modus, & eò facilius apprehensibilis, quò verior illa*

A S philoso;

philosophi ostenditur propositio, quod omnis
humana cognitio in intellectu causatur à sen-
sibus. Inuenimus autem nos, & alium sensa-
torem modum artis reminiscendi in quo per
obiectum semper praesens impossibile est (ut ita
loquar) memoriam falli. Nam si iuxta Ari-
stotelem 3. de Anima, actiuo passiuoq; debite
approximatis, & non impeditis necessario se-
quitur actio, ita obiecto sensibus approxima-
to, actio causatur in parte intellectiua, qua fa-
cile memoria ad ydeam entis figurati descen-
dit concipiendam, conceptamq; lingua pro-
nunciandam monstrat. Est igitur obiectum
duarum manuum integra presentatio, cum
suis figuris, figurationibusq; singulis quibusq;
locis appositis. Mirum utiq; hoc videtur esse,
ut parua tam humana manus, paruaq; in ven-
triculis digitorum figura, omnium dicendo-
rum valeant reminiscenciam ministrare. Ast
ubi experientia probabitur, quod mirum ap-
parebat, facillime conceptionis esse videbitur.
Nam per notas, & figuras, quae à nobis in se-
quentibus signabuntur haud tantum materialia
entia, & nomina aliquid significantia quisq;
(licet

(licet mediocris ingenij) recitare valebit; ve-
rum & dictiones penitus omnis significatio-
nis expertes, veluti sunt articuli, pronomina,
interiectiones, ceteraq; huius generis quam-
plurima. Et quod valde mirabile ostenditur,
per huiusmodi artē recitantur facilitate prom-
ptissima literæ, syllabæ, numeri, notæ musica-
les, puncta, commata, & quodcunq; humanâ se
offert explicabile linguâ. Sit autem hoc loco
bonus rogandus Lector, & quæcunq; in hoc li-
bello scripta conspexerit, legat, relegat, perle-
gat, & eis iterum studeat, minutiasq; illas, in-
ferius à nobis notandas obseruet attentè: ap-
pellatur enim hæc ars Reminiscentiæ, verum
nolentibus in eam optimam habere praxin,
continuumq; in eam exercere laborem, & ma-
ximè in principio suæ instructionis: vocabitur
ars perdendi reminiscentiæ, quin & intel-
lectum. Vtiq; difficillimæ apprehensionis ap-
parebit in principio, at cum in ea studens cæpe-
rit aliquantulum exerceri, haud tantum vide-
bitur facilis, sed & delectabilis, & apprimè
ad sui studium allicere animum. At nos utiq;
ut difficultatis speciem amoueremus ab ea, stu-
dendiq;

*dendiq^{ue} ansam omnibus praeberemus, faciliore
ordine quo poterimus illam enucleabimus, pri-
mum de locis, secundo de numeris, tertio de
figuris, & quarto doctrinam ad ar-
tem pertinentem anno-
tantes.*



DE

DE ARTIS REMI- NISCENTIAE LOCIS.

Silius Camillus suæ arti Remini-
scendi locum quærens, delectabilem
illam, omnibusq; curiosis intellectu-
bus theatri sui ydeam reperit, quam
pro vniuersali loco memoriæ ha-
bens, particularibus illam distinxit medijs, varijs-
que Deorum imaginibus exornauit, vt eò prom-
ptior memoria fieret, quò distinctior fit locorum
& imaginum apparentia. Alij verò huiusmodi
artis professores, priscam antiquorum phyloso-
phorum sequuti doctrinam, pro vniuersali artis
loco, amphitheatros, palatia, monasteria, & hu-
iusmodi similia sibi elegerunt; in quibus per an-
gulos, ianuas, fenestras, cæterasq; locorum diffe-
rentias, particularium locorum capefferent yde-
am: quos cum viuorum hominum, tam marium,
quàm fœminarum imaginibus exornatos habue-
rint, ex illorum gestu facilis reminiscencia cause-
tur. Nec nos à priscorum doctorum methodis ab-
errantes, loca quærimus tum vniuersalia, tum par-
ticularia, in quibus figuræ quædam cum suis ima-
ginibus recitandorum ydeas valeant memoriæ
ministrare.

*Vniuersalis
locus artis.*

Sit igitur quadripartitus vniuersalis locus,
qui

qui nostris regulis coniunctus, erit, utique vnus talisq; sit ambarum manuum facies quatuor. Particularia verò loca in eisdem manuum faciebus, erunt ventriculi digitorum, atque volarum, interiorius, exterioriusq; consistentes. Qui numerum haud excedunt nonaginta duorum. Est nempe in vnaquaque manu ventriculorum numerus viginti trium, qui quater assumptus ad nonaginta duo ascendit. Verùm hic aliquis obijciat. Si omnis huius loci ambitus, duo, & nonaginta possidet particularia loca, igitur cum quis orauerit, aut ad populum sermonem habuerit, nisi ad duo, & nonaginta conceptus, vel duo, & nonaginta verba, valebit protendere eloquutionem. Respondetur utique, adeò fertilem esse huius artis agrum, quòd per varia signa à nobis inferius declaranda, multiplicantur loca, ita vt in infinitum valeant produci. Enumerantur autem loca hæc particularia ordine suo, vnum post aliud, vt infra patebit in figura numerorum. Animaduertendum est autem, quod qui de arte reminiscentiæ scripserunt, voluerunt utiq; à dextera locorum particularium parte illam exordiri, optima siquidem ratione fulti: nam sicut dextera pars corporis expeditior fit ad quodecunque opus exercendum, ita per dexteræ partis corporeæ decursum, expeditior euenit memoria, quia ibi inclinatio est ad percurrendum omnia promptè: hæc verò quæ à nobis in manibus datur à primo

*Memoria
locorum, &
imaginum.*

Authoris.

REMINISCENTIAE.

3

mo ventriculo pollicis sinistrae manus sumit exordium, nam eo modo quo in scripturis utimur, à dextro ad sinistram procedere, quod si everso fieret, inconsona literarum supputatio euaderet; ita si alio ordine quàm à sinistris ad dexteram huius artis initium sumpserimus, inconsona, deformisq; omnino eueniret figurarum ponendarum locatio. Tentauimus nempe aliquando, ut quorundam satisfaceremus opinionibus, ab ungue pollicis dexterae manus illam exordiri, at vel quia usum habebamus à sinistra, vnde ex continuatione exercitij eramus habitum artis adepti, vel quia deterius sit ordinis initium à dextris, quàm à sinistris, vnde meliorem ordinem experti sumus, vel alia sit quaecunq; causa, per dexterinum ordinem non possumus proficere. Cum ergo reminiscentiæ artem

*Memoria
locorum &
imaginum.*

quis addiscere cupierit, accepto vniuersali loco, videlicet, palatio, domo, similiq;, vbi per aliquas differentias angulorum, columnarum, & similibus, optimum est initium: à dextris locorum ordinem incipere: In hac autem quæ in manibus à nobis traditur sit ordinis initium à sinistris, ut superius diximus, & infra clarioribus exemplis ostendamus.

*Authoris
ordo.*

Circa distantias verò locorum particularium eligendas, variè sunt opinati doctores, qui huiuscemodi artem per imagines edocuerunt: etenim sufficere dixerunt aliqui, tantùm quinque distantia pedes ab vno loco ad alium, alij dixerunt

*Distantia
locorum pro
imaginibus*

octo,

D E A R T E

4
 octo, alij sexdecim: sed cum in nostræ iuuentutis initio tali vteremur arte, distantiam locorum iuxta tales mensuras attentè obseruari debere, nihil, seu parum proficere experti sumus, eò quòd diuersitas locorum, per signa columnarum, angulorum, fenestrarum, & similium facillimè præsentantur memoriæ, potiùs per suas differentias, quàm per debitam loci distantiam: nam si imago vna locatur in angulo januæ, exteriori, scilicet, parte, potest & altera imago in interiori eiusdem januæ parte collocari, sic vt videantur imagines sibi inuicem auersæ tantùm per intermediij parietis distantiam: talesq; imagines memoriæ obijciuntur perfectissimè, vt satis liceat cuiq; experimento comprobari. Ex quo patet distantiam tantùm locorum obseruari debere; non autem in tanta commensuratione distantiam. Dicam vtique vbi locorum distantia obseruanda necessariò eueniunt: scilicet cù in longitudine nimia alicuius parietis, vbi neq; angulus: neque columna, neque aliud quidpiam signum adest, locandæ sunt, verbi gratia, tres imagines, aut quatuor, in tali casu obseruabis, vt sine distantes loci imaginum ad minus sexdecim pedibus. ne fortasse nimia imaginum vicinitas memoriæ confunderet, nam hi loci, qui sensatim distantes videntur, in ydeam viciniore se præbent, & si pro talibus imaginibus locandis signa locorum deficiunt, sunt fingenda, vel in pariete carbone

*Differentie
 locorum suffi-
 ciunt pro
 distinctiõe,
 magis quam
 distantia.*

REMINISCENTIAE.

bone notanda, veluti columna, corona, auis, & simile quodcunq;. Hæc igitur doctrina benè obseruanda est in locis vbi imagines collocandæ accidunt. Distantia autem locorum, qui in manibus consistunt, tot quidem caret obseruationibus, et enim inter locum, & locum nullum datur aliud spatium, nisi lineæ illæ iuncturarum, illas ad inuicem distinguentes, & ita fit, vt in quolibet digito interius exteriusq; considerato, octo reperiantur particulares loci. Inuolis etiam eorumq; posticis, distinctio locorū facilimè noscenda se offert, tum ob lineas, tum ob distinctionem figurarū ibi consistentium. Habes ergo ex his exactam locorum artis reminiscentiæ notitiam.

Distantia locorum manuum

DE QUALITATIBVS LOCORUM artis.

MAGIS euenit in arte reminiscentiæ per loca, & imagines inuenta, qualitas locorum obseruanda, quàm aliud quodcunq;. Siquidem fugitare sæpe præci arti institutores loca nimis lucida; eò quòd, vel nimia luce memoria fit imbecillis, sicut oculus ad lumen solis, vel ad albedinem niuis: aut nimia luce superfusa, omnes simul imagines videt confunditurque, euadendi fuit etiã mos sæpissimè loca nimia obscuritate confecta: nam talis est ydea tenebricosi loci apud memoriã, qua-

Locorū qualitas obseruanda.

B

lis

les tenebrę corporales oculos ne videant offuscant. Si namq; apertioribus oculis etiam in die vix in obscuris consistentia cernuntur, quomodo poterit memoria in obscuris positarum imaginũ sibi causare ydeas? rectę ergo loca elegerunt nec nimis lucida, nec nimis obscura. Dicam autem quod sentio pro temperamento obscurorum, lucidorumq; locorum, sicut nempe fingenda sunt signa pro locorum differentijs, vbi verę differentię non adsunt; sic fingenda sunt aliqua quę lucida nimis aliquantulum obscurent, & obscura nimis aliquantulum illuminent. Cum igitur in atrio nimis solaribus radijs referto locandę sunt imagines, ne nimia luce memoria confundatur, finge tibi umbraculum, uniuersum atrium contegens, & sic habita solis remissa luce, distinctionem imaginũ habebis perfectissimam. Si verò contigerit in aliquantulum obscuro loco, imagines debere locari, vt memoria facilius ydeam capiat, finge tibi ignem in medio ardentem, cuius beneficio luminis imagines facillime conspiciuntur. Hęc optimę obseruari debent in reminiscencia quę per imagines adipiscenda se offert. Tot autem locorum qualitates in manibus minimę sunt obseruandę, cum nimia familiaritate innotescunt: & ideò haud alia accidit obseruanda qualitas; nisi quod tantum spatij debent occupare figurę illę, quę in ventriculis digitorum, & posticis eorum locantur, quantum & illę quę in ventriculis

Nimis obscuras & nimis lucida loca quomodo temperantur.

REMINISCENTIAE. 7

triculis volarum, & posticis eorum consistunt, & è conuerso, quod quidem infra per exempla patebit.

DE FIGVRIS ARTIS, ET QVA-
litatibus earum, & de exercitio ad-
discentis circa illas.

Sicut in hac nostra reminiscendi arte figuris uti-
mur, ita & prisci authores, quos sequuti neote-
rici, vsi sunt imaginibus, quas viuas. & notissimas
esse oportere docuerunt. ac etiam inter se differen-
tes, non tantum sexu, & ætate, verum, & habitu,
ac exercitio vitæ. Hinc puto haud rectè dixisse *Imaginū lo-
candarum
differentiæ*
eos qui in arte dixerunt imagines omnino nudas,
& auersa facie debere locari. Si etenim nudæ sint
imagines, earum differentiæ videri nequeunt: po-
natur scilicet, quod sint Ioannes, & Antonius eius-
dem ætatis, pubertatisque, si nudæ sunt imagines
eorum, disparitas inter eos, vix per ydeam remi-
niscentiæ discerni potest. Idem euenit si duæ lo-
cantur puellæ virgines, vel duæ matronæ eiusdem
ætatis, & corporeitatis, vel duo pueri, inter quos
licet sit aliqua intermedia persona, illos distin-
guens, vel puellas, aut matronas ab inuicem sepa-
rans; tamen ipsarum nuditate memoria confundi-
tur. Fit etiam vt si imagines illæ non sint viuæ, &
ignotorum hominū, ignotarumq; mulierum, me-
moriam

memoria, vel ignotas non noscat, vel fato extinctas
 non videat. Locentur ergo in particularibus lo-
 cis imagines viuorum hominum, ac mulierū sintq;
 omnes ex notissimis, amicissimis, ac penè ex fami-
 liarioribus, vt fiat memoria promptior: accidit
 enim vt retardetur memoria quandoq; in recitan-
 do ob defectum indispositionis locorum, vel non
 assuetæ cognitionis imaginum. Quod si aliquis
 instat: Non valens tot amicos, & notos habere,
 quomodo perueniet ad studiū artis, quando mul-
 titudo locorum, & imaginum ei necessaria est? di-
 cam illum oportere ciuitatem percurrere, & iuue-
 nes inspiciat, puellasq; quas formissimas æstima-
 uerit, diligenter contempletur, & sufficit si tantū
 semel eas loqui audierit, vel ridere viderit, aut de-
 ambulare conspexerit, vt possit corporis motus,
 gestusq; notare: tales enim postea per frequenta-
 tionem artis notissimæ fient, eruntq; apud memo-
 riam, præsentantes quodcunq; præsentabile. Sint
 etiam nudæ imagines, non nuditate corporis, sed
 nuditate gestus, & figurationis, vt valeant figura-
 tione, & gestu semper indui necessariò, pro remi-
 niscentiæ ydea. Et si hoc sensu prisca doctores de
 nuditate loquuti sunt imaginum, eos rectè dixisse
 fatendum est. Oportet etiam vt in locis suis sint
 imagines erectæ, stantes, nil curæ, vultu demisso,
 manibus iunctis, vt nihil præsentent, nisi ad tem-
 pus, (vt infra dicemus) & facie versus memoriæ
 artificem.

*Quæ imagi-
 num notitia
 necessaria
 est.*

*Imagines
 quomodo si-
 tuanda.*

REMINISCENTIAE.

9

artificem; si etenim auersis faciebus starent ad parietem, utiq; artifex non posset eas statim cognoscere, nisi eas vocaret, ut verterentur, & per motum imaginis fortasse obliuisceretur memoria, quia tunc motum videns, amittit significationis positæ ydeam. Hinc maiores nostri dixerunt imagines ab alijs mobiles, & ex seipsis, motivas debere esse, ut motu, gestu, nutuq; aliquid in mente artificis imprimant. His igitur conditionibus exornatæ imagines, admirabilem reminiscendi ansam ministrant, apud eos qui reminiscendi artem per loca, & imagines acquirere satagunt. At artis figuræ, quæ in manibus sunt, tot prædictis conditionibus carere comperimus, aliquas tantum necessariò sustinentes. Sunt ergo huius artis figuræ numero *Numerus figurarum artis.* viginti tres, ad numerum literarum alphabeti, & tribus, atq; viginti locantur locis, in vnaquaq; barbarum manuum facie. Differunt inter se figurarum *Figurarum artis nomina.* tione, situ, & ordine, quarum nomina juxta proprietatem figurarum, hæc sunt. Figura prima dimidio orbe cæsa, luna vocatur: secunda, circulus: tertia, triangulus: quarta, annulus: quinta, circulus cornutus: eò quod duo cornua in vna parte habet: sexta, quadrangulus: septima, semicirculus: octava, græcū: nona, arcus: decima, figura ovalis: undecima, basis ionica: duodecima, vallis plana: tertiadecima, figura vasis: quartadecima, litera G. maiuscula: quintadecima, litera D maiuscula: sextadecima

B 3

cima



*Figurarum
artis diffe-
rentia.*

*Regula v-
niuersalis p
situ figura-
rum.*

cima circulus incisus: decimaseptima, scutum re-
gale: decima octaua litera P. maiuscula: decima
nona, circulus super basim: vicesima, pyramis ob-
tusa: vicesima prima, ypsilon: vicesima secunda, an-
guis: & vicesima tertia, Q. litera maiuscula. His
certè nominibus placuit appellare figuras, vt sic va-
leant per propria nomina discerni. Discernuntur
etiam ab inuicem propria speciei diuersitate, nam
ynaquæque altera, ab altera specie differt, vt in-
tuenti apertissimè patet. Sunt & aliæ duæ diffe-
rentiæ, altera secundùm situm, & altera secundùm
ordinem. Situ quidem differunt, pro quanto ipso-
rum quædam in ventriculis digitorum ponuntur,
& posticis eorum, & aliquæ in volis manuum, eo-
rumq; oppositis regionibus. Differunt etiam or-
dine, quia prima luna, ponitur in primo ventricu-
lo pollicis sinistrae manus: secunda luna ponitur in
vngue auricularij sinistrae manus: tertia luna sitti-
tur in vngue pollicis manus dexteræ: & quarta lu-
na locatur in eiusdem manus ventriculo auricula-
ris; post lunam verò cæterarum figurarum ordo ser-
uatur dissimilis: pro quo sit regula hæc vniuersa-
lis, quacunq; exceptione amota, vt figura quæuis
quatuor occupet locellos: hac scilicet dissimilitu-
dine, vt si in manu sinistra intrinsecus figurata, à
ventriculo pollicis incipiendo; figurarum ordo
descendit ad volem, & à volo eleuatur vsq; ad au-
ricularij ventriculum, interiori tamen eiusdem ma-
nus

R E M I N I S C E N T I A E. II

aus parte initium fit ab vngue anularis, vsq; ad vnguem pollicis. Cum autem ad dexteram accesseris, ab vngue pollicis figuræ descendunt ad oppositum volæ, & ascensum habent vsque ad vnguem anularis eiusdem manus: cum autem in interiori facie eiusdem manus intraueris, lunam locabis in ventriculo auricularis, & eodem quo processisti ordine in exteriori facie sinistrae manus, procedes in interiori dexteræ. Hæc omnia subiectæ figuræ apertissimè indicabunt. Quantum verò spectat ad exercitium addiscentis, aperiam: nam iuxta philosophicum illud, videlicet, quod ex frequentatis actibus, acquiritur habitus: est animaduertendum, quod plures requiruntur in hac arte actus præuij, vt possit de facili habitus adipisci. Vnde & maiores nostri in ea reminiscendi arte, quæ per loca fit, & imagines, propterea imagines illas in planis constituerunt locis, & infimis, vt possint facilius videri, vocari, & tangi, quando cunq; in eis hoc fieri oportuerit. Atq; vt perfectiùs de propositis imaginibus reminiscantiam haberent, differentias, distinctionesq; in ordinibus personarum constituerunt. Personarum igitur differentias, distinctionesq; dicimus attendendas, hoc ordine, videlicet, ex familiaritate, ex sexu, ex ætate, ex nobilitate, ex dignitate, ex virtute, ex officio, ac ex quouis huiusmodi simili. Ex familiaritate sic, vt primo loco personam tibi magis dilectam po-

Alia circumstantia loci observanda

Imaginum condicione & ordine



nas, quia hæc magis obijcitur mentis oculis, sitq; talis, aut pater, aut mater, aut soror, aut frater, aut vxor, vel puella pulcherrima, quam perditissimo amore prosequaris, hæc enim vim habet maximam primo mentis oculis præsentare ydeam. Constituta ergo hac in primo loco, aduenit secunda locanda persona; in qua sexus differentia consideranda est, vt si in primo loco marem posuisti in secundo foeminam, & è conuerso, scilicet, si in primo loco foeminam locasti, in secundo marem locare debes. Tertio loco consideranda est ætas, sic vt si præcedenti loco posuisti senem, in sequenti ponas adolescentulum, vel puerum. Quarto loco consideranda est nobilitas, vt si adolescens, vel puer, quem posuisti tertio loco fuit infimæ conditionis, in sequenti, scilicet, quarto ponas virum nobilem, ex præclarioribus ciuitatis. Quinto loco est attendenda dignitas, vt si quarto loco sæcularem hominem posuisti, in quinto Episcopum, aut Religiosum aliquem ponere tenearis. Sexto loco est attendenda virtus, vt scilicet, tali loco ponas doctorem, vel musicum, aut quempiam talium. Et septimo loco consideratur officium, seu artis exercitium, vt tali loco ponas aratorem, aut pastorem, vel talium quemuis, quibus suo ordine positus, redeas ad positionem sequentium personarum vt supra, semper hoc animaduertendo, vt primo quoq; loco post cæterarum personarum locationem, sit vnus, vel


REMINISCENTIAE. 13

vel vna ex tibi familiarissimis, & dilectissimis. His ergo per omnia sic ordinatis, continuum requiritur circa talia exercitium, videlicet, vt quotidie, terque, quaterque, omnia suo debito ordine mente percurras; accedas ad propria loca, tangas, videas, vocites, & moueas veluti si ibi propria vita viuerent. Hoc idem fieri debet in figuris, quæ in manibus pro artis perfectione ponuntur, quotidie etenim, haud tantum septies, octiesque, sunt illæ *Exercitium continuu in figuris artis.* memoria percurrendæ, verum & quindecies, atque si fieri potest, vicenisque vicibus excogitandæ, tum recto, tum retroverso ordine, verbi gratia, à luna incipiendo vsq; ad ultimam figuram, & e conuerso. In huiusmodi quippe exercitatione, tota consistit huiusce artis basis, & fundamentum, cætera verò quæ in huiusmodi figuris obseruanda occurrunt, in sequentibus declarabuntur. Subiecta tamen schemata ordinem figurarum in vnaquaque manu locandarum ostendent. Nec mireris si duas tantum figuras ponimus, videlicet, interioris, exteriorisque sinistrae, quia eodem ordine procedendum est etiam in dextera, hac tantum differentia obseruata, vt ab vngue pollicis in ea sit exordium.

B 5

Sinistra

DE ARTE
Sinistra in interiori parte.




Posticus



REMINISCENTIAE
Posticus sinistrae manus.

18



DE

DE HIS QUAE FIGVRANDA
 eueniunt in vniuersa Reminiscentiae
 arte.

V Sque modo quæ diximus, & facilima sunt pro intelligentiæ captu & notissima vt ad praxis perfectionem reducantur. Quæ verò sequuntur diligentiori sunt animaduertenda iudicio, & primò quæ sunt in figuris, & imaginibus locanda enumerabimus, secundò modum collocandi illorum aliqua ostendemus. Hoc vnum autem ante omnia considerandum aduenit, quod vt infinitorum singularium confusionem euitemus genera quædam, speciesq; tantum annotabimus, vt inde sumptis exemplis, ad particularia suo proprio Marte perueniat quisq; locanda. Haud etenim tantum difficile hoc esset, quæcunq; lingua pronounciari valent enumerare, verum & impossibile: hinc nos rerum diuisionem (non completè; sed vt necessitas expostulat) faciemus, singula membra diuisionum declarabimus, ac declarata proprijs signabimus figuris. Ordo igitur talis fit.

Omnia quæ ore pronunciantur, vel

{ Nihil significant.
 { Aliquid significant.

Nihil

Nihil significantia, aut sunt { Literæ, syllabæ, articuli, conjunctiones, pronomina, accentus, & similia.

{ Risus, cachinni, balatus, boatus, & similia.

Aliquid significantia aut sunt { Verba.
{ Nomina.

Verba aliquando ostendunt, vel { Actionem in aliquo.
{ Passionem ab aliquo.
{ Actionem simul, & passionem in seipso.

Nomina siue propria, siue appellatiua, referuntur vel ad { Substantiam.
{ Accidens.

Substantia, aut est { Corporeitatis expers.
{ Corporeitati obnoxia.

Quæ omni penitus caret corpore, aut est { Deus.
{ Angelus.
{ Anima.

Deus triplici distinctione gaudet { Pater.
{ Filius.
{ Spiritus sanctus.

In qualibet diuina persona consideratur { Essentia.
{ Vnitas.
{ Veritas.

In Angelo



In Angelo considerantur { Hierarchia.
Ordo.
Nomen.

In anima triplex fit consideratio, { Rationalitatis.
Animalitatis, secundum sensum.
Vegetationis.

Substantia corporalis consideratur in { Cælo.
Elementis.
Animantibus.
Plantis.
Mineralibus.

In cælo habent considerari { Figura.
Motus.
Sydera.
Aspectus.
Influxus.

In figura qualibet considerantur { Lineæ.
Anguli.
Rectitudines.
Curuitates.

Motus considerabitur si est { Continuus.
Tardus.
Velox.

In syderibus habent considerari { Lumen.
Obscuritas, siue Eclypsis.
Pro

Pro obscuritate verò, fit confide- { Distantia.
ratio in syderibus de { Umbra.

Aspectus in syderibus re- { Rectitudinis.
spicit situm. { Retrogradationis.
{ Oppositionis.

Circa influxus syderum adue- { Benignitas.
nit consideranda { Malignitas.

In substantia elementari fit discursus { Ignem.
ratiocinandi circa { Aërem.
{ Aquam.
{ Terram.

In igne respicitur { Leuitas.
{ Ardor.

In aëre occurrit sæpè lo- { Nubibus.
quutio de { Pluiijs.
{ Grandinibus.
{ Glaciebus.
{ Niuibus.
{ Tonitruis.
{ Coruscationibus.
{ Rore.
{ Iride.
{ Halone, Serenitate.

In aqua

In aqua declarantur

{ Flumina.
 { Fontes.
 { Lacus.
 { Aquæductus.
 { Canales.
 { Corpora christallina.
 { Translucida, seu dia-
 { phana.

In terra animaduertitur

{ Cos.
 { Lapis.
 { Arena.
 { Gypsum.
 { Calx.
 { Sal cuiuscunque ge-
 { neris.

In substantia animalium fit diuersi-
 ficatio per plura genera, nam
 omnia animalia sunt.

{ Aquatilia.
 { Volatilia.
 { Terrestria.

In aquatilibus
 occurrunt

{ Serpentes.
 { Pisces.
 { Et carentia capite,
 { vt sunt { Cancri.
 { Lericij.
 { Ostreae.
 { Conchilia.
 { Locustæ. &c.

In vola-

REMINISCENTIAE. 21

In volatilibus est copiosa multitudo, sed ad exempla figurationum capessenda sufficiant hæc,

{ Phœnix.
Aquila.
Pauo.
Accipiter.
Columba.

In terrestribus animalibus multiplicem habemus differentiationem, scilicet

{ Hominum.
Cicurum.
Ferarum.

In hominibus sunt plura consideranda, scilicet

{ Sexus.
Potestas.
Dignitas.
Conditio.
Officium.

De sexu, utrum sit

{ Masculus.
Fœmina.
Androgynus.

De potestate aduenit loquutio circa

{ Reges.
Principes.
Duces.
Proreges.
Iudices.
Consiliarios.
Carnifices.

C

D.

De dignitate, quia est { Pontifex.
Imperator.
Rex.
Cardinalis.
Episcopus.
Presbyter.
Religiosus, monachus.

De conditione, quia est { Nobilis.
Ignobilis.
Virgo.
Vidua.
Nupta.
Meretrix.

De officio seu vitæ exercitio,
quia est { Doctor juris.
Medicus.
Miles.
Venator.
Architectus.
Nauta.
Musicus.
Mercator.
Arator.

In consideratione cicurum, & ferra-
rū, hæc pauca pro nunc signan-
tur, nam de cicuribus habemus { Equos.
Boues.
Asinos.
Cámelos.
Bubalos.

De feris

REMINISCENTIAE.

23

Deferis, {
 Leonem.
 Leopardum.
 Tygrim.
 Ursum.
 Lupum.
 Lynxem.

Plantarum distinctio parua est, {
 omnes enim plantæ sunt {
 Herbæ.
 Frutices.
 Arbores.

Nomina plantarum signabuntur in imaginibus,
 & figuris, aut per propriam speciem representatam,
 ab imaginibus in locis memoriæ consistentibus,
 aut juxta regulam, quam dabimus de proprijs no-
 minibus hominum, quando recitandi occurrunt.

Mineralia verò hac distin-
 ctione inter se distin-
 guuntur, scilicet {
 Aurum.
 Argentum.
 Plumbum.
 Stannum.
 Æs.
 Ferrum.
 Argentum viuum.

His igitur sic breuiter circa substantialia consi-
 deratis, est etiam sciendum, quòd nomina vertun-
 tur ad expressionem accidentium, & antequam
 ad istorum considerationem accedamus, sciendum
 adest, omnia creata entia tribus terminis constitu-
 ta esse.

C 2

Sunt



Sunt etenim, vel in

- Principio, medio, & finei
- Concordantia, differentia,
- & contrarietate.
- Maioritate, minoritate, &
- æqualitate.

Accidentia tamen à cunctis philosophiæ sectatoribus nouem esse ponuntur, ipse auté de mente Iohannis Duns Scoti, addam omnium rerû intentiones, & sic decem ordinibus distinguuntur.

Ordo quidem talis est,

- Quantitas.
- Relatio.
- Qualitas.
- Actio.
- Passio.
- Situs.
- Vbi. Quando.
- Habitus. Intentio.

Quantitas duplicem habet modum figurationis, eò quòd ipsa in duplici differentia reperitur, scilicet qua est

In quantitate continua fit ratiocinatio de

- Continua.
- Discreta.
- Magnitudine, seu spatio.
- Superficie.
- Linea.
- Puncto.
- Motu.
- Tempore.
- Et temporum differentijs.
- In quan-

In quantitate discreta accidit
facienda discussio de

{ Numeris.
Proportionibus.
Consonantijs.
Tonis.
Semitonis.
Diesibus.
Lemmatibus.
Mensuris.
Ponderibus.

Sunt etiam quædam quanta, quæ non possunt
exprimi talia esse, nisi suæ considerentur relatio-
nes, eò quòd non ex se sic dicuntur, sed respectu al-
terius, veluti,

{ Magnum.
Paruum.
Multum.
Paucum.
Excessus.
Defectus.

Sunt insuper & alia quanta, quæ ex propria na-
tura sunt quanta, sed exprimuntur per qualitates,
vt

{ Asperum.
Lene.
Molle.
Durum.

In relationibus etiam accidit discursus ratioci-
nandi, vel respectu causæ ad effectum, vel respectu
fundamenti, & termini, vel respectu positionis siue
fitus.

situs. Quando igitur fit consideratio causæ ad effectum, est veluti si accideret loqui de

{ Creatore.
 { Creatura.
 { Mouente.
 { Mobili.
 { Scientia.
 { Scibili.
 { Præmissis.
 { Conclusionibus.

Fundamenta verò relationum, earumq; termini occurrunt, quando in oratione fit discursus de

{ Patre.
 { Filio.
 { Sponso.
 { Sponfa.
 { Cæterisq; similibus.

Relatio verò quæ respicit positionem, tunc evenit, quando fit discursus, de his quæ pertinent ad differentias locales veluti

{ Dexter.
 { Sinister.
 { Ante.
 { Retrò.
 { Sursum.
 { Deorsum.
 { Propè.
 { Longè.

Aliquæ

Aliquæ adhuc relationes occurrunt, de quibus in regula prædictorum à nobis assignanda, validissima sumi potest methodus illa figurandi, tum in imaginibus, tum etiam in figuris manuum.

Quæ verò ad qualitates pertinent, hæ quidem duplici modo habentur, sunt etenim animæ qualitates, seu quæ ad animam referuntur, & quæ ad corpus: verùm illæ, quæ animam respiciunt, aut sunt virtutes, aut vitia. Virtutes tamen hoc modo enumerantur:

Fortitudo.

Iustitia.

Prudentia.

Temperantia.

Fides.

Spes.

Charitas.

Vitia adhuc capitalia septem designantur:

Superbia.

Avaritia.

Luxuria.

Ira. Gula.

Invidia.

Acedia.

Sunt etiam & aliæ qualitates in anima, scilicet

Obliuio.

Insania.

Timor.

Iudicium temerarium, & aliis his similes.



Quæ autem circa corpus sunt qualitates, respiciunt

{ Pulchritudinem.
 { Deformitatem.
 { Infirmitatem.
 { Sanitatem.
 { Caliditatem.
 { Frigiditatem.
 { Et cuiuscunq; generis calorem.

De actione, & passione si aduenit loquutio, cum jam ipsa iuxta Aristotelem sint vnus motus, habet considerari vterq; terminus, veluti in relationibus, semper enim actio fit super passum, verbi gratia

{ Si est verberans, { Si verberatiuum, verberabile.
 { Est verberatum. { Si amatiuum, amabile.
 { Si desideratiuum, desiderabile, &c.

{ Si comburens,
 { Datur combustum.

{ Si est docens.
 { Reperitur addiscens, & sic de cæteris.

Situs respicit differentias locales, de quibus jam dictum est supra in relationibus: easq; etiam respicit prædicamentum vbi.

Prædica-

Prædicamentum, quando refertur ad differen-
tias temporis, scilicet

- { ad Annum.
- { Mensem.
- { Diem. Horam, &c.

Respicit etiam prædicamentum habitus, ad esse

- { Armatum.
- { Indutum.
- { Nudum. Seminudum.

Intentiones verò, & omnia quæ fiunt circa ani-
mam, primò referuntur ad potentias substantiales
animæ, scilicet

- { Intellectum.
- { Voluntatem.
- { Memoriam.

Deinde circa ipsas potest discursus occurrere de

- { Intentionibus.
- { Phantasmatibus.
- { Somnijs.
- { Illusionibus nocturnis.
- { Visionibus.
- { Prophetijs, &c.

Ex omnibus his ergo, quæ sic breuiter collegi-
mus, exempla sumi debent, vt & quæcunq; reci-
tanda veniunt, eadem methodo figuranda sint.
Modum autem figurationis aliquorum ex prædi-
ctis, ab his quæ nihil significant incipiendo decla-
rabimus. Hæc sequentia exempla sufficiant, ex
quibus artifex, seu artis sectator, ad propriam re-
currat inuentionem.

C S

QVO.

*QUOMODO SVNT FIGVRANDAE
Litera, Syllaba, Articuli, Coniunctiones, Prae-
positiones, Pro:nomina, Aduerbia, & his
similia, in vtraq; Reminiscen-
tia arte.*

EO quòd nunc maius opus mouendum occur-
rit, scilicet, vt modum figurationis omnium
prædictorum doceamus, vt ex his benè notis e-
xemplis, possint & cætera figuranda figurari; ite-
rum sit hîc monitus lector, vt animaduerrat nos
vtramq; docere artem, eam scilicet, quam maiores
nostri per loca, & imagines instituerunt, eamque
etiam, quam nos per figuras in manibus positas ad-
iuuenimus, & in concionibus nostris quotidie vti-
mur. Et ideò de figurationibus figurandorum in
locis, & imaginibus tractabimus; ac deinde de il-
lorum figurationibus, quæ in manibus figuranda
eueniunt sermonem habebimus. Figurationem
igitur literarum, duabus & viginti figuris, possu-
mus facillimè constituere: incipiendo ab A, vsque
Z. hoc modo. A, figuratur in instrumento illo per-
pendiculi, quo fabri lignarij vtuntur ad commen-
surationem æqualitatis planæ, veram habens ima-
ginem literæ maiusculæ A, vel potest figurari in
circino, in cuius medio sit axis illud continens a-
pertum, vt sensu patet in circinis æreis. B, figura-
tur in

*Literarum
designatio
per figuras
artu.*

tur in instrumento illo ferreo, quo pedes hominum clauduntur in carcere, vocaturq; compes ferreus. Ad figurandum C, potest figurator vti cucurbita oblonga, & curua, vel fragmine peponis dimidio orbe cæso. Ad figurandum D, sufficit compes ferreus simplex, quo pes hominis vincitur in triribibus. Pro figura literæ E, satis sufficiens est seca illa, qua ligna secantur, completa tamen cum cordula, & duobus hinc inde manubrijs. Pro F, conuenit figura falcis. Pro G, bene conuenit anguis capite recto, & cauda gyrum faciens. H, potest figurari per eandem imaginem, quæ in loco artis posita est, vt hoc tamen sit gestu disposita, scilicet, erecta, brachijs sursum versus extensis, pedibusq; iuxta rectitudinem fœmorum dilatis. Pro figuratiōne I, sufficit columna. Pro K, locari potest instrumentum ligneum eiusdem figuræ. Literæ L, conueniens figura est securis, M, optimè figuratur in imagine loci, quando imago illa manibus iunctis manet inclinata deorsum, ceruice terram tangente, & pedibus hinc inde dilatis, aut inclinata, manibus extensis ad pedes, vel manibus iunctis in medio amborum crurum, potest etiam figurari in tripode scamno. Pro litera N, potest imago duos habere baculos, quorum extremitates terram tangant, ipsiq; erecti altera extremitate tangant vtrunque harum hinc inde, quibus extremitatibus stet innixa imago. O, facilis est figurationis, quia pro

eo sufficit circulus cuiuscunq; materiæ confectus. P, & Q. vna tantum sunt figura contenti, scilicet Episcopali baculo, qui si extremitatem suæ curuitatis habebit à sinistris faciet figuram Q, si habebit à dextris faciet figuram P. Litera R, figuratur in instrumento ligneo talem similitudinem habente. S, fit in angue tortuoso. T, figuratur in malleo. V, figuratur in circino, cuius duæ cuspites sursum versus sint, & caput deorsum. X, signatur per crucem. Y, per furcam. Et Z, per ligneum quadrantem, quod in inuersionibus suis talem possit in se ostendere figuram. Cum ergo hæ sunt literæ collocandæ, tales prædictæ figuræ sunt in manibus imaginum in locis suis consistentium collocandæ. His autem literis adueniunt suæ vocales, seu suæ consonantes, sicuti necessitas exoptulat, vt ex eis syllabæ formari valeant. Quarum syllabarum compositio facilis est apud imagines: nam si in dextera manu imaginis consistentis in loco suo ponetur figura lignei perpendiculi quæ figurat A, & in sinistra eius dabuntur compedes ferrei, qui faciunt, figuram B, utiq; ex vna figura, & altera, statim aduenit reminiscentia syllabæ, ab: si verò syllaba recitanda non erit ab, sed ba, tunc mutanda est figura, & quæ erat in dextera, locabitur in sinistra, & quæ in sinistra ponetur in dextera, & tunc sic dispositæ figuræ reminiscentiam causabunt syllabæ, ba. Atq; hoc modo dispositis figuris, apud omnes imagines

in locis

*Syllabarum
compositio p
figuras ar-
tis.*

in locis suis permanentes species ostendentur quarumcunq; syllabarum. Articuli etiam, Coniunctiones, & Præpositiones, quoniam vt sæpius, ex tribus constant literis, tribus figuris in eadem imagine possunt designari, verbi gratia, si articulus erit latinè exprimendus in genere neutro videlicet, hoc: tunc imago brachijs sursum extensis, & pedibus dilatis figurabit H: circulus in dextera manu figurabit O: cucurbita oblonga, & curua, in sinistra manu figurabit C: ex quibus articulum compositum significans HOC, si autem articulus erit vernaculo sermone recitandus, verbi gratia, dal, tunc imago posita in locis habebit in dextera com. pedem ferreum, gerentem figuram D: in pectore habebit circinum appensum, cum axe medio figuram ostendentem literæ A: & in sinistra manu habebit securim ex manubrio pendentem, designantem literã L: ex quibus sic præsentatis figuris in imaginatiua, statim concipit memoria compositum articulum DAL, & sic fit in omnibus pronominibus, scilicet, ego, tu, ille, meus, tuus, suus, &c. Et Aduerbijs, vt, híc, illic, vbi, nuac, &c. Hoc siquidem figurandi modo, satis expertus sum in concionibus meis nunquam posse penitus memoriam falli; animaduertat autem artis sectator, vt sæpius in huiusmodi figuratione se exerceat, vt possit valentiùs in arte proficere. Et hæc de locatione prædictorum in imaginibus satis declarata censean-

*Articuli
designatio
in imagi-
nibus.*

*Modus figu-
randi lite-
ras in ma-
nibus.*

*Compositio
Syllabarū, et
articulorum
in manibus.*

censeantur. In figuris verò, quæ in manibus habentur, posset item fieri eadem literarum designatio, sed quoniam figuræ in ventriculis digitorum, volarumq; positæ aptiores sunt ad ostendendâ ipsammet literam, quàm aliquod literam figurans: propterea cõperti sumus, quòd litera in figura descripta, facillimam reddit sui ipsius reminiscentiam. Nec dedignetur animus addiscentis, sæpiùs in figuris literas collocare, atq; intrâ se peruoluere, omnem semper literâ variando in vnaquaq; figura. Exempli gratia, si in luna quæ manet in prima pollicis sinistrae manus ventriculo, pro vna vice posuit A, & in circulo sequente lunam posuit B, mutata vice ponat in luna B, & in circulo A, deinde in luna C, & in circulo D, & sic in omnibus figuris commutando literas: nam cuiuslibet literæ, vnaquæq; est capax figura. Possent etiam & syllabæ & articuli, & alia quæ paulò supra notauimus, pro qualibet sui litera distinctis locari figuris, verbi gratia, si syllaba erit ba, in luna ponatur B, & in circulo A, & tunc duæ figuræ vnam dabunt syllabam; & tres, aut quatuor figuræ, vnum designabunt articulum, vnde licet non esset difficultas in recitando, esset tamen tarditas in memoria concipientes; & propter hoc duximus, vt sicut in antedictis imaginibus sufficiens est vna imago, ad ostendendum syllabam vnam, vel articulum vnum; sic vna, & eadem figura in manu, plures præsentet combinatas

natas literas ad syllabæ, vel articuli formationem. Sit igitur ordo talis: litera A, in figura absolute posita, aliud non signet nisi A, si verò virgula vna interciditur A, vt patebit in sequenti schemate, tunc non significetur in ipsa A tantum sed pro artificis arbitrio dicat ab, vel ad, vt sermonis loquutio ex- postulat, nam apud rectè intelligentem fit hæc differentia inter ab, & ad, in rectitudine regulati sermonis: & sufficit vt illud signum præsentet memoriæ reminiscentiam, quod debet incipere ab, a, distinctio verò inter ab, & ad, fit ab artifice per regulas rectè loquendi. Ac eodem modo fit in eisdem figuris designatio omnium Articulorum, Præpositionum, Aduerbiorum, & similium. Schema verò sequens in literis simplicibus ostendit figurationem literarum absolute, in literis autem incisissimè figuraciones demonstrat syllabarum, ac omnium illorum, de quibus paulò ante loquebamur. At si facilius artem addiscenti videbitur, prima figuratio literarum, & syllabarum, ea utiq; vtatur; nos autem sciat hac vltima vti tanquam sensatiore, illa etenim sensatior est in imaginibus, hæc verò in figuris.



Hoe



Hoc item modo fit in omnibus elementis literarum, literas, syllabas, articulosq; designaturis. Verum hic dubitabit aliquis, nam multoties *Dubitatio.* posset æqui-uocatio incidere, ob similitudinem principij, vnde syllabæ, atq; dictiones sumunt prolationem, verbi gratia, si recitanda euenient verba hæc: ab Antonio aurum accepi, vtiq; omnia hæc initium habent ab a, & si quater ponetur a in quatuor figuris sibi inuicem consequentibus, ob æqui-uocationem memoria decipietur. Vt ergo tolla. *Solutio.* tur huiusmodi difficultas, duæ possunt seruari regulæ; altera per dissimilitudinem figurarum, & altera per dissimilitudinem literarum, & hæc est facilior. Dissimilitudo figurarum attenditur penes hoc; vt pro quanto figuræ à se inuicem differunt, tum specie, tum positione, fundabit reminiscentiam suam; artifex, ita vt possit dicere, quod per solas figurationes literarum, prima figura signet ab, secunda Antonio, tertia aurum, & quarta accepi. Dissimilitudo verò literarum sumitur à principio dictionis, & fine, quæ sine æqui-uocatione aliqua optimam causat reminiscentiam, verbi gratia, A, incisum designabit syllabam, ab: Ao, designabit Antonio: Am. dicet aurum: & Ai, dicet accepi. Sufficit enim vt figura ostendat imaginem, siue speciem dictionis; nam ex illius ydea statim memoria recordatur. Huius exemplum habetur in præcedenti schemate, à nona figura incipiendo.

D

DE

DE FIGURATIONIBVS QVORVNDAM nihil significantium, vt sunt, risus,

cachinni, balatus, boatus, & his
similium.

Dicuntur risus, cachinni, & alia quædam nihil significare, non quòd verò nihil significant, sed quia huiusmodi corporis motus nullâ valent verborum vi pronuciari, deseruiunt tamen ad mouendum mentis ydeam, pro conceptu aliquo ab ipsis denominato; exempli gratia, si in sermonis discursu, pertractandum erit de stultitia risus, de vanitate loquendi, de immoderata hilaritatis figura, de ouium in campestribus delectabili balatu, de mugitu, rugitu, vlulatu, ac cæteris similibus; profectò satis concinnè memoria recordabitur, si apud imagines in locis artis consistentes, aliqua constituemus, per quorum ydeam, ad simplicem ipsorû aspectum possit memoria recordari. Cum nempe de ridendi stultitia erit sermocinatio, sufficiens fiet risus designatio, si imaginem ipsam in proprio consistentem loco ridere fingemus. Aut ante ipsam stultum aliquem nobis notum immoderatè ridentem constituemus. Quòd si per hoc adhuc nudis memoria nullâ percipit de risu ydeâ, optima erit risus figuratio, si mulierculâ aliquam, quam sæpiùs ridere vidimus, coram imagine artis fortiter

*Nihil significantium re-
miniscentia.*

fortiter ridere locabimus; ac ex huiusmodi immoderati risus specie ad cachinnorum recordationem facilimè deueniemus. Hac etiam figurandi methodo potest hilaritas, & cuiuscunq; immoderatae lætitiæ species designari. Pro figuratione verò balatus, rugitus, boatus, ac cæterorū similibus; quoniam hæc ex brutis desumpsit humana loquutio; illamet bruta ex quibus huiusmodi desumuntur voces, si coram imaginibus artis locantur, optimam ostendent memoriæ reminiscentiæ speciem, ut pro balatu ponatur coram imagine, ovis aperto ore hians: pro boatu, bos ore cœlum versus eleuato atque aperto: pro rugitu leo: pro ululatu, lupo: pro fremitu, aper: & sic de cæteris similibus. In manibus autem huiusmodi sic materialiter fieri nequeunt, & propter hoc oportet artificem ingeniari, ut propter exercitium adeò subtilietur memoria, quòd nil ei difficultatis adueniat in prædictorum, ac omnium aliorum similibus recitatione. At antequam de regulis figurandorum sermonem faciamus: animaduertat addiscens, quòd multi in hac arte proficiunt, & multi quidem oleum amittunt, & opus: & huius ratio non prouenit ex artis defectu, & falsitate, sed ex addiscentis ingenij subtilitate, vel heberudine. Sunt etenim quidam adeò delicatissimi intellectus, qui ad vnã præceptoris vocem, & vnico præ oculis exemplo posito, haud tantum concipiunt quæ declarantur, verum

Se ex seipsis nouam inueniunt, & pulchram quidē figurandi rationem. Quibusdam verò accidit, vt propter ingenij hebetudinem, haud tantū quæ à magistro declarantur vix percipiunt, sed & ad propriam speculandi rationem descendere tentantes, nec aliquāliter proficiunt, nec paululum inuentionis habent ad quomodolibet figurandum figuranda. Hinc animaduertat addiscens, vt ex his quæ ponimus exemplis, ex seipso inuentionem sumat figurandorum, ne iniuste contemnatur ars. Fi-

Voces et corporis motus quomodo figurantur in manibus.

gurantur igitur prædicta non per propriam speciem, vt fit in imaginibus sensatis, sed per depictam ipsorum imaginem ab aliquo alio desumptam, verbi gratia, risus fit ore hominum, cuius designatio non potest materialiter figurari, nisi modo supra dicto, qui modus minimè aptus censetur in arte, quæ in manuum figuris exercetur. Et propter hoc est pingenda imago risus in figuris digitorum, desumpta per metaphoram ab aliquo alio cui est nomen risus. Habemus siquidem nos plantam, quæ latinè oriza vocatur, vulgò verò, granum risum. Ponamus igitur quòd in figura lunæ, in primo pollicis sinistrae manus ventriculo posita, sit locandus risus, sat vtiq; erit, si quædam grana signentur, super quæ sit litera maiuscula R, nam per huiusmodi duo, memoria concipit risum. Aliquando etiam dimissa metaphora, aliquod figurabile figuratur per characterem, quod rarò euenit pronunciandum.

(illa

REMINISCENTIAE. 41

(illa quidem quæ rarò occurrunt, faciliùs memoriæ mandantur) sumuntur autem huiusmodi figuraciones vel à principio, vel à fine.

A principio nempe hoc modo, cachinnus incipit à c, & a, quorum vtrumq; facit k, signetur igitur in figura, scilicet in circulo, vel alia quavis k, quoniam litera hæc, qua rarò vtimur, reminiscentiam causabit cachinni: veruntamen oportet vt addiscens hoc sæpius sibi præfigat in mente. A fine vero figuratio cadit perfectissima, quando sumpta prima dictionis litera, figuratur finis dictionis per metaphoram ab aliqua re desumptam, exempli gratia, balatus benè figuratur per B cui à dextris, & à sinistris sint duæ alæ, nam balatus, & B, alatus coincidunt: Sic etiam vlulatus benè figuratur per V, cui supra sint duæ alæ, nam V, alatus reminiscentiam causat istius dictionis vlulatus. Et sic per huiuscemodi regulam possunt omnia his similia faciliùs figurari. Prædictorum exemplaria habes in præcedenti schemate, à quartadecima figura incipiendo. Nam quæ semel sensui obijciuntur, faciliùs memoriter retinentur.

DE FIGVRATIONIBVS PROPRIORVM NOMINVM.

QVod quibusdam aliquando difficile visum fuit, videlicet, nomina propria virorum, vel mulierum.

D 3

mulie.



mulierum certis locis per appositas imagines figurare, hoc semper apud me facillimum existimaui. Nec sunt spernendæ quorundam antiquorū regulæ, quas & neoterici sæpissimè amplexati sunt; scilicet, vt viros, ac mulieres nobis notissimas assumamus, quorum nomina sint eiusdem rationis nominum à nobis recitandorum. Et quidem methodus hæc optimæ facilitatis est. Si enim nomina recitanda hæc sunt, Antonius, Franciscus, Ioannes, Beatrix, Flaminia, &c. ponatur ante imaginem, quam in proprio loco statuimus, vir vnus ex nobis notissimis, cui nomen sit Antonius: coram secunda imagine ponatur vir alter ex nobis familiaribus, cui nomen sit Franciscus: & in tertia locetur alter cui nomen sit Ioannes, & tunc optima fiet recordatio Antonij, Francisci, & Ioannis. Coram quarta imagine sit iuencula, ex his quæ aliquando nouimus, cui sit nomen Beatrix: & in quinta imagine, sit iuencula quædam ex notis, quæ vocetur Flaminia: & tunc recordatio statim eueniet illorum nominum, scilicet, Beatricis, & Flaminie. Atque ita fit in cæteris nominibus proprijs tum virorum, tum etiam mulierum. Verùm si aliquando accideret, vt imago quæ in suo consistet loco, illud nomen quod quærimus habeat, tunc nihil in ipsa imagine fiet: sed ita nuda, & sine gestu, quomodo posita fuit à principio nomen proprium indicabit. Occurrit autem hie difficultas non parua de no-

*Propriorum
nominum fi-
gurationes
in imagi-
nibus.*

difficultas.

REMINISCENTIAE. 48

de nominibus proprijs, quæ non sunt in usu, ut sunt nomina Hebræorum, antiquorum philosophorum, urbium, montium, fluviorum, locorum, ac cæterorum similium, quorum significationes per viuas amicorum nostrorum imagines non possumus figurare. Sint profectò recitanda nomina hæc. Abraam, Isaach, Iacob, Ioseph, Dauid, Salomon, Euclides, Hippocrates, Ptolomeus, Roma, Messana, Polistina, quorum nominum figurandi similitudinem non inuenimus. Pro his ergo plures sunt seruandæ regulæ, nam figurantur, aut per ipsorum nominum interpretationem, aut per eorundem hominum historias aut per eorum virtutes, & officia, aut per ipsorum insignia. Exempli gratia, Abraam interpretatur pater multitudinis, cum ergo volumus figurare Abraam, tunc coram imagine artis locabimus senem quendam, cui astat multitudo infantulorum, ac tota huiusmodi figuratio significabit Abraam, diciturq; talis designatio per nominis interpretationem. Isaac figurari potest per historiam, legimus enim de eo, quod fuit positus super struem lignorum, ut in sacrificium occideretur à patre, si ergo ante imaginem artis locabimus puerum ligatum, & nudum super ligna, & senem qui gladio arrepto vellet ipsum interficere, tunc statim recordabimur huius nominis Isaach, & talis dicitur figuratio ex historia. Ptolomeus fuit Rex, & Astrologus, signetur ergo

Nomina Hebraica, Græca, & nomina locorum quomodo figurantur.



ante imaginem artis senex cum diademate, & manu dextera teneat sphaeram cum circulis distinguentibus eam, & tunc statim reminiscencia eueniet Ptolomei, diciturq; talis figuratio à virtute, siue ab officio. Romana ciuitas pro insigni habet vexillum in quo tales sunt scriptae literae S.P.Q.R. habeat igitur imago stans in loco artis vexillum in manu in quo videantur praedictae literae, & statim recordatio fiet ciuitatis Romanae, diciturq; talis figuratio ex insigni. Iisdem regulis figurantur caetera praeposita nomina, ac alia quaecunq; talisq; figuratōnis nulla est difficultas, nisi vt ingenietur addiscens promptam habere figurandorum inuentam similitudinem. In figuris verò manuum hae regulae ad vnguem obseruari nequeunt, ideò vna tantum praedictarum vtimur, quàm faciliorem praeter ceteris experti sumus, & talis est, quae per insigne aliquod reminiscenciam causat. At quia fieri nequit, vt omnia nomina insigne proprium habeant, operæpretium fuit metaphoram figurandi sumere ex simili, verbi gratia, si recitanda sint iam supra proposita nomina, videlicet Antonius, Franciscus, Iohannes, Abraam, Isaach, Ptolomeus, Roma, & huiusmodi similia; vtiq; nulla figurarum praedictarum valeat ex se completè aliquod dictorum nominum significare, nec de huiusmodi sic communibus nominibus possumus pro vnoquoq; proprium habere insigne, hinc oportet ex nobiliori-

bus figurationis metaphoram assumere, & nobiliorum insignia ponere. Exempli gratia pro Antonio, accipiamus nomen S. Antonij cuius insigne est flamma ignis, eò quod laborantes sacro igne protegit. Pro Francisco accipiamus nomen Sancti Francisci, cuius insignia sunt stigmata quinque. Pro Iohanne accipiamus nomen Sancti Iohannis cuius insigne est calix veneno plenus; eò quod infideles venenum ei dederunt bibere, nec nocumentum corpori sequutum est. Cum ergo recitanda occurrent prædicta nomina, signetur in figura flamma ignis, & in sequenti signentur vulnera quinque, & in tertia signetur calix ex cuius ore exeat serpens, & statim recordatio fiet Antonij, Francisci, ac Iohannis. Hoc etiam modo fit in cæteris nominibus, videlicet, Lucretia, Lucia, Iulia, & similibus. Prædictorum figuratio est in præcedenti schemate incipiendo à decima septima figura. Item nomina quæ figurari habent ex historijs, non possunt in eisdem figuris completè designari, nisi minuatur historia, & tunc figuratio erit velut illa quæ habetur per insigne. Exemplum, sint recitanda nomina Abraam, Isaach, & similiarum per suas historias, utiq; legimus de Abraam, quod quod vicit in bello quinque reges, & munera suscepit à Sacerdote Melchisedech: & de Isaach legimus, quòd fuit super struem lignorum oblatus Deo altissimo; quæ omnia vix possent in figuris artis designari,

signari, nisi historiarum minuerentur, hoc modo: pro victoria Abrae ponamus in figura ramum palmae, & pro munere Melchisedech constituamus mitram pontificiam; cum igitur oculus mentis videbit in figura palmam, & mitram, statim recordabitur Abraam. Pro sacrificio Isaac ponamus in figura tantum altaris designationem, cui supra sit gladius, & statim recordatio fiet huius nominis Isaac. Pro nomine Ptolomei potest tantum sphaera significari, quae habetur pro insigne virtutis suae, & pro nomine Romae signentur in figura literae ex quibus constituitur insigne Romanae urbis. Per huiusmodi exempla valebit addiscens ex semetipso ingeniari, caetera omnia nomina figurare. Verum oportet ut saepius in huiusmodi figurationibus se exerceat, ut mens acutior euadat, atque ad figurandum promptior. Praedictorum tamen nominum exemplaria praecedens schema indicabit incipiendo a vigesima figura.

DE FIGURATIONIBUS ILLORUM, quae in ordine sunt substantiae incorporeae, ut Deus, Angelus, Anima.

Pro figuracione illorum, quae minime ad corpoream naturam pertinent, id ante omnia est primo animaduertendum, quod nunquam potest memoria

memoria falli, si quæ immaterialia sunt secundum naturam, materialiter apud locorum imagines figurantur, & propter hoc quæ immaterialia sunt, materialiter oportet in arte figurari, cuiusmodi est Deus, Angelus, Anima: figuratur autem Deus, vel à nominis interpretatione, vel ab usu, quo in sacris imaginibus depingi solet. *Immateria-
lia materia-
liter figu-
rantur.* A nominis interpretatione primùm pro quanto Deus interpretatur videntis, quia vnico intuitu præterita videt, præsentia, atq; futura, oportet alicuius videntis perfectis. sine assumere figuram, hoc autem tali signo potest designari: videlicet, fingatur in ydea monstrum cui duæ sint facies, sibi inuicem oppositæ ad similitudinem statuæ illius antiquissimi Iani, quem antiqui duas facies habentem arbitrati sunt, ac per huiusmodi figurationem reminiscenciam habebis videntis Dei. Alio modo potest figurari, & sensatius, per huiusmodi nominis interpretationem, scilicet pro perfecto visu habeatur in ydea ante imaginem loci statua illius Argi, de quo dixerunt poëtae centum habuisse circa caput oculos, nam talis figuratio altissimi Dei videntis reminiscenciam causabit. Verùm quia nunquam Argum illum temporibus nostris vidimus, vt sensatior fiat figuratio, assumatur pauo auis, cui est tota oculata cauda, cuius oculi Argum dixerunt poëtae fuisse, nam ex multitudine oculorum in cauda pauonis, apertissima Dei videntis reminiscencia causabitur.

Solent

Solent etiam & nostri temporis pictores Deum figurare in persona cuiusdam gloriosi senis, atqui huiusmodi figuratio optimam Dei reminiscenciam causat, cum senem ante loci imaginem fingimus, gloriosis, ac speciosis opertum vestibus. Hoc etiam modo æterni Patris persona figuratur. Verbum Dei, id est Filius Dei, in infantulo designatur speciosissimis vestibus decorato. Spiritus sanctus, pluribus potest modis figurari, videlicet in flamma ignis, quia sic in die Pentecostes apparuit, in columba, quia tali figura decoratus sedit super Christum in Iordane, & alijs quàm plurimis figurationibus, secundum quas hominibus apparere dignatus est. Angeli aut figurantur ab officio, vel ab usu pictorum; ab officio sic; Si Angelus de quo nomen querimus sit Vriel, aut Raphael, aut Barachiel, &c. tunc oportet scire quod Vriel, ignis Dei interpretatur; habeat ergo imago loci thuribulum vivis carbonibus plenum, nam præsupposito quod ignis in thuribulo est Deo sacratus, recordatio evenit de igne Dei, ex quo excerpere potest facilima reminiscencia nominis Vriel. Raphael interpretatur medicina Dei, quia Angelus hic, medici officio functus est in Tobiam cæcum; fingatur ergo in loco suo imago cæca, & iuuenis pulcher astans, quasi cæco liniens oculos, & huiusmodi designatio recordationem ministrabit nominis Raphael. Barachiel iustitia Dei dicitur, pro cuius figuratione

sufficit

sufficit vt imago artis stateram habeat in vna manu, & ensem in altera. Huiusmodi regulis possunt & dæmones figurari, qui spiritus sunt angelici. vnusquisque secundum sui nominis interpretationem, vel secundum pictorum consuetudinem. Verum sæpius pro figuratione dæmonum in genere, aut pro Luciferi nomine, serpentem coram imagine consueui fingere; eò quod serpens dicitur Satan in scripturis sanctis. Figurationem autem animarum à pulchritudine sumere consueui, & puelulam quam pulcherrimam noueram, coram artis imagine sæpè præposui, ad cuius ydeam recordatio facta fuit animæ promptissima. Hisce vtique exemplis perfectissimè poterit artis sectator prædicta, ac cætera in genere incorporeæ substantiæ posita, figurare. Acutior verò, ac subtilior methodus est pro figuratione prædictorum in manibus indaganda: nam oportet in omnibus, tum materialibus, id quod subtilius, & diminutius est inuenire. Hinc pro Dei figuratione oportet assumere id quod Diuus Iohannes inquit in sua prima canonica; quod Deus lux est. Si lux, oportet distinguere, hoc non potest fieri nisi per radios, radius enim est lucis pars diminutior, si igitur radius designabitur in superiori parte figuræ, tunc ille Deum significabit, vel æternum Patrem. Si radius erit in inferiori parte designabit Filium. Si verò tres radij in figura erunt, habebis Spiritus Sancti figurationem.

rationem. At pro sanctissima Trinitate sufficit in figura triangulus. Angelorum autem figuracionem à nominis similitudine metaphoram sumere consueui. Nam duæ lineæ rectæ in plano figuræ artis coincidentes faciunt angulum, si sunt lineæ plures, etiam plures angulos constituunt: inter Angelum, & angulum, ac etiam Angelos, & angulos maxima est nominum similitudo, cum ergo angulus ex duabus lineis in figura designabitur, utiq; facilimè ex eo Angeli reminiscencia fiet: & si plures angulos ex pluribus lineis mens in figura videbit, statim plurium Angelorum recordationem habebit. Prædictorum exempla in primo sequenti schemate designantur à prima pollicis figura incipiendo. Angelorum autem nomina infra angulum per primam nominis literã possunt designari. At pro dæmonum imaginibus, sæpissimè figura vsus sũn nigra, quæ mihi & dæmones designat. & noctem, & tenebram, & his similia. Animæ figuracionem pluribus expertus sum modis, sed quia radix nominis eius ex illis duobus Hebraicis vocabulis profluit **בשמחיים** nisemath chaim, id est, spiraculum vitæ, nunquam similitudinem illius vocabuli variare volui, & pro nisemath, nexũ in figura designare consueui, vnde ex acquisito habitu, cum nexum in figura video, statim animæ recordor. Huius nexus exemplum est in sequenti schemate, figura septima. Tali igitur ordine in-

corpo.

corporea omnia figurantur, sed nisi artis sectator in huiusmodi fictis figurationibus sæpiùs assuescat, vix proficere poterit: ex frequentatis enim actibus, oportet artis habitum adipisci.

*DE FIGURATIONIBVS IL-
lorum entium, quæ media sunt inter cor-
porea, & incorporea, vt sunt Entia
mathematicalia.*

Quæ ad Mathematicã spectant, communiori distinctione quatuor distinguuntur partibus, aut enim sunt ex Arithmetiis, aut ex Geometriis, aut ex Astrologicis, aut ex Musicis. Quæ ad Arithmeticam pertinent, sunt numeri illi, qui cardines numerorum dicuntur, scilicet vnus, duo, tres, quatuor, & reliqui. Horum numerorum apud Ægyptios erat significatio ab vno vsque nonagintanovem in sinistra manu, cum verò centenarius erat significandus, demissa sinistra fiebat transitus ad dexteram. Qui huiusmodi significationibus vtitur apud imagines locorum artis; nequaquam errare posse conijcio. Verum quò figuratio materialior, eò mens est in apprehensione facilior, nam crassiora, & corpulentiora fortius mouent sensum, & inde sumat cogitativa phantasmata. Atq; ob id numeros apud imagines aliter figurare consueui, quàm per antiquam manuum inuersionem, & gestum,

*Numerorum
figuratio-
nes.*

stum. Pro vnitata signanda imago artis manum dexteram eleuat, & pollice cœlũ ostendit, eo modo quo & Turcæ fidem suam solent adiurare. Pro dualitate duo brachia eleuat imago sursum versus, manibus nudis nihil significantibus. Pro ternario tripodam posui. Pro quaternario figuram quadrangularem ligneam, veluti formã illã qua lateres conficiuntur. Pro quinario anguem locavi in manu imaginis, capite aliquantulum inclinato, & cauda tantisper erecta, vt figuram faciat literæ s, quæ quintium numerum arithmetico vsu designat. Pro numero senario frequenter anguem posui, capite apprehenso, atq; incluso in manu imaginis, & cauda in orbem ducta, vt aptè figuram indicet literæ 6. quæ arithmetico vsu senarium designare solet. Pro septenario, aptavi coram imagine sedem, nam à sedè ad septem fit facilis commutatio, expertus enim sum optimè recordationẽ fieri à vocabuli similitudine. Pro numero octonario circulum posui in manu imaginis ex metallo illo quod nos octonem vulgò vocamus, per octonem enim reminiscencia causatur octonarij. Pro nouenario artificiale aliquod nouum posui, sed facilius euenit recordatio si nouem oua in vase nouo ponuntur coram imagine. Pro denario crucem, pro centenario lunam dimidio orbe cœsam, pro millenario mala poma, quæ à nobis vulgò mila vocantur, & sic de cæteris numerorum speciebus, est propriam inuenire figuram.

REMINISCENTIAE.


55

guram. Geometrica per regulam qua in commen-
 surationibus suis fabri vtuntur designauit. Astro-
 nomica per sphaeram: & Musicalia, aut per instru-
 mentum pulsus secundum cuiusq; generis musi-
 corum similitudinem, aut per librum figuris orna-
 tum musicalibus, ac satis huiusmodi figuratio ta-
 lium entium placuit. In figuris autem manuum
 alio figurandi modo vtimur, nam columnam ac-
 cepi pro vnitatem, anguem pro binario, triangulum
 pro ternario, quadrangulum pro quaternario, pen-
 tangulum pro quinario, hexangulum pro senario,
 rosam geometricam pro septenario, corpus cubum
 pro octonario, circulum pro nouenario, M.
 maiusculum pro millenario, & cum eisdem figuris
 designantur caeterae numerorum fractiones, &
 compositiones. Sequens schema haec omnia indi-
 cabit ab octaua figura incipiendo. Geometrica per
 lineam figurauit in medio figurae, Astronomica
 per sphaeram, & Musicalia per notas musicales in
 figura depictas. Si artis sectator in huiusmodi figu-
 rationibus se exercuerit, ac figuratorum recitatio-
 nibus experimento comperiet quantae sit utilitatis
 ars: haud enim sine frequenti exercitio acquiri po-
 test artis perfectio.

Mathema-
 ticarum ra-
 rum figura-
 tiones.

44

DE ARTB



D
M
po
ale
ap
ni
tic
ad
or
de
cu
ra
di
fic
do
eo
&
lit
fi
eir
acc
lia,
do
pie



REMINISCENTIAE.

DE FIGVRATIONIBVS ILLO-
rum, quæ ad substantiam materialem per-
tinent, & ad accidentia.

Materiales substantias infra cœlum conspici-
mus, ac paulò supra illas enumerauimus, qua
ponimus breuitate in cœlestibus elementis, atque
elementatis rebus, quorum omnium facilima est
apud imagines locorum artis significatio. Quò e-
nim materialiora sunt entia, eò facilius figura-
tionibus exponuntur, quorum aliqua tantum pro
addiscentis exemplo ponemus. Cœlum, & totus
orbis, per pilam magnam, in manu imaginis artis
designatur. Circuli cœlorum per materiales cir-
culos, motus cœlorum per rotas mobiles, & syde-
ra per eorum figuras materialiter fictas: quod &
difficile non erit, nam & in mercatorum, atq; arti-
ficum officinis, cœlestium syderum figuras aliquân-
do videre contingit, ex quorum ydea facilima est
eorum in mente figuratio. Item elementa omnia
& mineralia, & plantæ, & animalia quæq;, non a-
liter figurari debent, quàm in propria natura con-
sistunt. Difficultas autem posset esse apud aliquos
circa significationes accidentium, nam quædam
accidentia corporalia sunt, quædam verò spiritua-
lia, corporalia quidem vt ægritudo, albedo, nigre-
do, & similia: spiritualia, vt intentio, cogitatio, sa-
pientia, virtutes morales, & theologales, &c. quo-
rum omnium figuratio fit per subiectum cui talia
acciden-

*Substantia
materiales
& accidentia
quomodo
figurantur,*

accidentia inhærent, vt ægritudo figuratur per hominem ægrum, albedo per niuem, nigredo per Æthyopem, cogitatio per religiosum contemplantem, Sapiencia per doctorem aliquem ex nobis notis, Fortitudo per amicum frangentem columnam, Prudentia per serpentem, & speculum, Temperantia per vas temperati vini, & Iustitia per hominem habentem ensem, & stateram. Sic ergo nil est in orbe, aut sub consideratione cadit intellectus, quod non possit talibus figuris designari: vt omnium possit fieri recordatio. Quæ omnia per supra dictas regulas possunt etiam in manibus figurari. At hic vnum animaduertendum aduenit, pro totius operis complemento, scilicet, quod loca sensibilia, quibus ars fit per imagines, possunt multiplicari, & minui, secundum capacitatem vniuersalis loci artis: sed loca, quibus ars innititur in manibus possunt bene multiplicari, sed non minui: sunt enim in vtraque facie manuum loca nonaginta duo, multiplicantur autem in infinitum, secundum diuersitatem colorum, & signorum quibus manus significantur, & ornantur. Quod quomodo debeat intelligi, paucis verbis dicam. Accepi ego aliquando librum, quem pluribus decoravi manibus & figuris, ostendentibus facies ambarum manuum in quibus figuras semper easdem posui, manuum autem facies quatuor pro prima vice albæ erant, iuxta naturam paginae, pro secunda vice nigrae, pro

*Locorum
multiplicatio
in manibus.*

tertia


REMINISCENTIAE. 57


tertia rubeæ, & sic semper diuersificaui colores in libro, vt per sensum fieret facilis apprehensio in intellectu. Cum autem defecerunt colores, supra quatuor facies manuum descripsi aliqua signa, scilicet, in primis quatuor faciebus coronam, in secundis liliū, in tertijs auem, & sic variando signa, facta fuit variatio manuum, & multiplicatio locorum. Multa quidem & alia essent dicenda pro artis facilitate, sed ne fiat nimis vulgaris, vt etiam cerdones, & cetarij vtantur, quæ dicta sunt sufficient: nam quæ subticentur, oretenus enucleanda decreui, & eo maximè, quod quæ artis perfectionem necessaria sunt, per prædicta completissimè declarata consistunt.

FINIS.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.











164 D 74

AB 164 014

X 1979654

ULB Halle

3

005 938 422



164 D 74





B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

3

IERONYMI
RAFIOTI POLI-
STINENSIS,

BRI THEOLOGI
Minorum obseruantia.

TE REMINISCENTIAE
a, & imagines, ac pernotas,
guras in manibus positas.

LECTABILE, OMNIBVSQVE LI-
sis, & praecipue Oratoribus, Concionatoribus,
ribus, qui ad Doctoratus apicem ascendere
satagunt apprime utile.



RGENTORATI
debat Antonius Bertramus
M. DC. III.

